



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De Ordinibus

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

Vicesima sexta Accusatio.

*De Ordinatione & Constitutione Pastorum.**Vtrum Ordinatio sit Sacramentum.**De Ordinibus.**De Ceremoniis circa Ordinationem.**Quod Ordinandi debeant doctrinam in Libro Reformationis contentam confiteri, & in ea se permanuros spondere.*

C A P . C X V .



AEC Accusatio quatuor partibus continetur: quarum prima est. *Librū non numerare Ordinationē inter Sacramēta.*

Ad hoc supra responsū est in Articulo de Sacramētis in genere. Quod vero cōsacratio in eo sit, quādo quis ordinariē ad ministeriū instituitur, vt D. August. in eo loco quem Aduersarij citat, scribit: quodq; manū impositio, si ad imitationē exempli Apostolorū ad Ordinationē rectē adhibeat, sanctū sit gratiē signū, atque idcirco non malē Sacramētū dici possit, sicut etiam D. August. appellat, contra hoc nihil dicit Liber Refor. nominat hoc opus Ordinationē ad ministeriū Ecclesiae, sicut antiqui omnes id appellauere.

Hoc loco rursus animaduerte, Christiane Lector, quid sit de quo Aduersarij pugnant. De ordinaria Examinatione & probatione ordinandorum ad Ecclesiae ministerium, vñā cum testimonio fidelis populi, eiusque erga tales voluntate, quę omnia S. Patres, vñā cum Spiritu S. tam serio requirunt, nihil omnino curant, in quo & legem Dei, & omnes Canones manifeste transgrediuntur: nec tamen eius criminis rei esse volunt: interim pro nomine acerrimè decertant.

Altera pars est, *Librū tantummodo mentionem facere de instituendis Pastoribus: Quasi in Ecclesia non sint alij ordines, quā Pastorū dūtaxat.*

Responso.

TItuli quidem apud Aduersarios q̄ àm plurimi sunt, at vbi apparent vera ac probata Ecclesiae ministeria? In hunc finem compositus est Liber Reform. vt in eo cerni queat, in quibus rebus Christiana Reformatio apud plebem quām citissimè posse efficaciter institui: non quod propositum fuisset, singula Ecclesiae ministeria & negotia ad viuum refecare, & exactissimè perscrutari. Alioquin constat, Antiquos isthac ministeria tam in ordinatione, quām in opere distinxisse, munusque Episcopale pro primo ac supremo Ecclesiae ministerio habuisse, cui præcipua animarum cura, & administratio ministerij Ecclesiastici in ea vrbe, in qua quilibet ad Episcopatum ordinatus erat, nec nō in iis Ecclesiis, quā in eius vrbis territorio erant, commendabatur, Consilio tamen & adiumento Presbyterorum, totiusque cleri prestanta.

Alterum ministerium fuit Presbyterorum, qui in verbi prædicatione, Sacramentorum administratione, exercitiisque disciplinæ Ecclesias Christi vñā cum Episcopo gubernare debebant, tam in vrbe, quām in territorio, & singuli in iis locis, qui peculiariter eis deputati erant.

Tertium